



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis Romanorum Pontificum

Liutprandus <Cremonensis>

Moguntiae, 1602

Albonis Floriacensis Abbatis Epitome. De XCI. Romanorum Pontificum Vitis,
E Libro De Vitis Romanorum Pontificum, qui Anastasio Bibliothecario
tribuitur, desumpta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

ALBONIS FLO-
RIACENSIS ABBA-
TIS EPITOME.

DE XCI. ROMANO-
RVM PONTIFICVM VITIS,
E LIBRO DE VITIS ROMANO,
rum Pontificum, qui Anastasio Bibliothecario
tribuitur, desumpta,

ET NVNC PRIMVM EX VETVSTO
MS. COD. *in lucem vindicata.*



ELOGIA.
DE ALBONE, VEL VTALII, ABBO.
NE FLORIANCI ABBATE.

SIGBERTVS de scriptor. Ecclesiast. cap. 140. *ABBO* abbas Florianensis. quantum valuerit in utraq; scientia, ostendit, cum super calculum *Victorii* commentatus est. Martyr obiit. Idem habet in Chron. ad annum 994.

SENATVS Brauonius in vita S. Osualdi Wigorniensis Episcopi apud Surium tom. 5. ad 15. Octob. S. Osualdus, inquit, in monasterio *Rameseia* Abbo Florianensem monachum degere voluit morum sanctitate praclarum, & litteris egregie eruditum, ut monachos doceret, scholis praeset, & tum regularem siue monasticam disciplinam, tum litterarum scientiam promoueret. Is Abbo *Dunstani* hortatu B. Edmundi regis & martyris passionem accuratè conscripsit. Tandem *Floriancum* reuersus, & illic Abbas effectus, &c.

IOAN. TRITHEMIVS, de scriptor. Ecclesiasticis. *ALBO* Florianensis monasterii Abbas, ordinis S. Benedicti, vir in diuinis scripturis, iugi lectione & studio exercitatus, & in secularibus disciplinis egregie doctus, vita quoq; & conuersatione insignis, & usq; ad martyrii coronam dignus comprobatus dum in *Vasconia* verbum Dei predicaret fidei Christianae testis sanguinis effusione factus est. Scripsit super calculo *Victorii* librum vnum, & *Additiones* in eundem, librum 1. & quaedam alia. Claruit temporibus *OTTONIS* primi, anno Domini 970. Idem habet in Chronico *Hirsaugiensi* ad annum Domini 970.



EXCERPTVM

DE GESTIS ROMANO-
RVM PONTIFICVM EX LI-
BELLO, QVI CONTINET GESTA ROMANO-

RVM PONTIFICVM, QVAE DE SINGVLIS EORVM SVO
ordine vtilia posteris iudicauit ALBO Floriac. * breuiter ac v-

tiliter decerpfit, secutus veritatem DAMAS1 Romanæ

Ecclesiæ Pontificis, qui eundem libellum scripsit roga-
tu Hieronymi diuinæ legis interpretis.

* *erasmus eras*
in MS. Mo-
nachi, vel
Abbatis.

I.



BEATVS PETRVS, princeps Apostolorum,
Antiochenus, filius Ioannis, prouinciæ Gali-
leæ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primum te-
nuit cathedram Episcopatus in Antiochia
annis 7. & post in vrbe Roma annis 25. mensi-
bus 2. diebus 3. Hic ordinauit tres Episcopos,
Linum, Cletum & Clementem. ex quibus, Li-

nus & Cletus præsentialiter omne ministerium sacerdotale in vr-
be Roma populo superuenienti exhibuerunt, dum ipse Petrus ora-
tioni & prædicationi vacaret. Clementi verò cathedram, vel Ec-
clesiam omnem disponendam commisit. Post hæc martyrio cum
Paulo coronatur post passionem Domini, anno 38. & sepultus est
via Aurelia in templo Apollinis iuxta locum, vbi crucifixus est, in
Vaticano, 3. Kalend. Iulii.

II.

LINVS, natione Italus, regionis Tusciæ, patre Herculano, sedit
annis 11. mensibus 3. diebus 12. Et constituit, vt mulier in Ec-
clesiam velato capite introiret; martyrioq; coronatus sepultus est
iuxta corpus B. Petri in Vaticano, sub die 9. Kalend. Octobr.

III.

CLETVS, natione Romanus, de regione vici patritii, patre Æ-
myliano, sedit annis 12. mensibus 1. diebus 11. Martyrioq; coro-
natus,

Q

natus, sepultus est iuxta corpus B. Petri, 6. Kalend. Maias. Et cessauit Episcopatus diebus 30.

IV.

CLEMENS, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annis 9. mens. 2. diebus 10. Et fecit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic dum nonnullos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, exilio relegatus est, martyrioq; coronatus, sepultusq; in Græcia, 8. Kalend. Decemb. & cessauit Episcopatus dies 21.

V.

ANACLETVS, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, sedit annis 9. mens. 2. dieb. 10. qui & memoriam B. Petri Apostoli construxit. vbi tamen & ipse sepultus est iuxta corpus eius. Et cessauit Episcopatus dies 13.

VI.

EVARISTVS, natione Græcus, ex patre Iudæo, nomine Iuda, de ciuitate Bethlehem, sedit annis 9. mens. 10. dieb. 2. Hic titulos in vrbe Roma diuisit, & 7. diaconos ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Et sepultus est iuxta corpus B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus dies 18.

VII.

ALEXANDER, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caputauri. sedit annis 10. mens. 7. d. 2. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Qui sepultus est via Numentana, vbi decollatus est, ab vrbe Roma non longè milliario 7. 5. non. Maii. Et cessauit Episcopatus dies. 35.

VIII.

SIXTVS, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Vialata, sedit annis 10. mens. 2. die vno. Hic constituit, vt ministeria sacra non tangerentur, nisi à ministris. Et, vt quicumque Episcoporum euocatus fuisset ad Sedem Apostolicam rediens ad parrochiam suam non susciperetur, nisi cum formata. Qui & ipse sepultus est iu-

est iuxta corpus B. Petri, 3. nonas April. Et cessauit Episcopatus dies 2.

IX.

TELSPHORVS, natione Græcus, ex anachoritis, sedit annis 11. mensibus 3. dies 21. Hic constituit, vt per septem hebdomadas ante Pascha, ieiunium celebraretur. Et in Natali Domini Missæ per noctem; nec vnquam ante horam tertiam Missas vllus celebraret. Et vt ante sacrificium hymnus celebraretur angelicus. Qui martyrio coronatus, sepultus est iuxta corpus B. Petri 4. non. Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 7.

X.

HYGINVS, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis. cuius genealogiam non inueni; sedit annis 15. mens. 3. dieb. 4. Et sepultus est iuxta corpus B. Petri, 3. Idus Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 2.

XI.

PIVS, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileia. sedit annis 10. & 9. mensib. & 3. diebus. Sub cuius Episcopatu Hermes librum scripsit, in quo continetur, quod angelus Domini in habitu Pastoris ei præcepit, vt Pascha die Dominico celebraretur. Hic constituit, hæreticum venientem ex Iudæorum hæresi suscipi & baptizari. Qui sepultus est iuxta corpus B. Petri, 5. Idus Iul. Et cessauit Episcopatus dies 14.

XII.

ANICETVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, de vico Humisa, sedit annis 12 mens. 4. diebus 3. Hic constituit, vt clericus comam non nutret. Martyr q; obiit, & sepultus est in cimiterio Calisti 12. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies 17.

XIII.

SOTHER, natione Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundis. sedit annis 9. mensibus 6. dieb. 21. Hic constituit, vt nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sanctam Ecclesiam. qui sepultus est iuxta corpus B. Petri, 9. Kalend. Iunii. Et cessauit Episcopatus dies 21.

Q 2

XIV.

XIV.

ELVTHER, natione Græcus, ex patre Habundio, de oppido Nicopoli, sedit annis 15. mens. 3. diebus 2. Hic accepit epistolam à Lucio Britonum rege, vt Christianus efficeretur. Et iterum firmavit, vt nulla esca rationalis & humana à Christianis repudiaretur, maximè fidelibus. Qui sepultus est iuxta corpus B. Petri, 9. Kalend. Iun. Et cessavit Episcopatus dies 15.

XV.

VICTOR, natione Afer, ex patre Felice, sedit annis 15. mensib. 3. dieb. 10. Hic constituit, vt necessitate faciente, vbi inuentus esset gentilis, baptizaretur, & vt à quartadecima Luna primi mensis vsque vicesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Qui sepultus est iuxta corpus B. Petri 5. Kalend. Aug. Et cessavit Episcopatus diebus 12.

XVI.

ZEPHIRINVS, natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annis 8. mens. 6. dieb. 3. Hic constituit, vt sub præsentia omnium clericorum, & laicorum fidelium, clericus, leuita, siue sacerdos ordinaretur: & coronam sacratam accipiat presbyter tradendam populo. Qui sepultus est in cimiterio suo, iuxta cimiterium Calixti via Appia, 6. Kalend. Septemb. Et cessavit Episcopatus dies 6.

XVII.

CALLISTVS, natione Romanus, ex patre Domitio, de vrbe Raennatium. Sedit annis 6. mens. 2. dieb. 10. Hic constituit ieiunium die Sabbathi ter in anno fieri. Martyrioq; coronatus, sepultus est in cimiterio Calepodii via Aurelia, milliario 3. 3. Idus Octob. Et cessavit Episcopatus dies 6.

XVIII.

VRBANVS, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annis 9. mense 1. dieb. 2. Hic sua traditione Valerianum sponsum S. Cecilie, & multos alios vsque ad martyrium perduxit. Qui confessor factus, sepultus est in cimiterio Prætextati, via Appia, 8. Kalend. Ian. Et cessavit Episcopatus diebus 30.

XIX.

XIX.

PONTIANVS, natione Roman⁹, ex patre Calpurnio, sedit annis 9. mens. 5. dieb. 2. Hic & Hippolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro de Sardinia insula Butiana, ibiq; defunctus, martyrio coronatus est 3. Kalend. Nouemb. Quem B. Fabianus adduxit cum clero per nauim, & sepeliuit in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 10.

XX.

ANTHERVS, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis 12. mense vno, dieb. 12. Hic martyrum gesta diligenter inquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Martyrioq; coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 3. nonas Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 13.

XXI.

FABIANVS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annis 14. mens. 11. dieb. 10. Hic regiones diuisit diaconibus, & fecit sex diaconos, qui septem Notariis imminerent. Eo tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit Ecclesiam. Fabianus verò martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 13. Kalend. Februar. Et cessauit Episcopatus dies 6.

XXII.

CORNELIUS, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annis 2. mensibus 3. & dieb. 10. Qui Centum cellis pulsus est, & ibidē accepit à Cypriano martyre in carcere scriptam. Quo etiam loco decollatus, martyr effectus est. Cuius corpus noctu collegit B. Lucina cum clericis, & sepeliuit in crypta iuxta cimiterium Calixti, via Appia, in prædio suo. 18. Kalend. Octobris. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

XXIII.

LVCIVS, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annis 3. mens. 7. dieb. 6. Hic in exilio fuit. Sed postea incolumis ad Ecclesiam suam reuersus præcepit, vt duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui etiam à Valeriano capite truncatus 3. nonas

Q³

Mart.

Mart. sepultus est in cimiterio Calixti via Appia. 8. Kalend. Septemb. Et cessauit Episcopatus dies 35.

XXIV.

ST E P H A N V S, natione Romanus, ex patre Iobio, sedit annis 6. mensib. 5. dieb. 2. Hic constituit sacerdotes & Leuitas, vt vestibus sacratis non nisi in Ecclesia vterentur. Martyrioq; coronatus sepultus est in cimiterio Callisti via Appia, 4. nonas Aug. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.

XXV.

XI S T V S, natione Græcus ex Philosopho, sedit anno 1. mens. 10. diebus 26. Martyrioq; coronatus sub Valeriano 8. Kalend. Aug. Post cuius passionem tertio die passus est B. Laurentius archidiaconus. Denique beatus Xistus sepultus est in cimiterio B. Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

XXVI.

DI O N Y S I V S, ex monachis; cuius generationem non potuimus reperire. sedit annis 6. mensibus 2. diebus 4. Hic presbyteris Ecclesias dedit, & cimiteria, & parrochias diocesis constituit. cuius depositio 6. Kalend. Ianuar. in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 5.

XXVII.

FE L I X, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annis 4. mensibus 3. dieb. 25. Qui constituit supra memorias martyrum Missas celebrari. Et fecit basilicam in via Aurelia, vbi martyrio coronatus, sepultus est, 3. Kalend. Iunii, milliario ab vrbe Roma secundo. Et cessauit Episcopatus, dies 5.

XXVIII.

EV T H I C I A N V S, natione Thuscus, ex patre Marino, de ciuitate Lunæ, sedit annum vnum, mensem 1. diem 1. Hic constituit, vt fruges super altare tantum, fabæ & vix benedicerentur. Et sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 8. Kalend. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies 8.

XXIX.

GA I V S, natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaiō, sedit annis 11. mensibus 4. diebus 12. Hic consti-

constituit, vt ordines omnes sic in Ecclesia ascenderent. Si quis Episcopus esse mereretur, vt esset ostiarius, lector, exorcista, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Qui fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur, & sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 10. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies 11.

XXX.

MARCELLINVS, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annis 9. mensibus 4. diebus 16. Quo tempore fuit persecutio magna, vt intra 30. dies, 17. hominum millia promiscui sexus per diuersas prouincias coronarentur. Inter quos ipse Marcellinus ductus est ad sacrificandum, vt thurificaret. quod & fecit. Et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano capite pro fide Christi truncatus est. Cuius corpus iacuit in platea diebus 25. & exinde Marcellus presbyter collegit noctu, & sepeliuit eum via Salaria in cimiterio Priscillæ iuxta corpus sancti Crescentionis, 7. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus annis 7. mensibus 7. dies 25.

XXXI.

MARCELLVS, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Vialata, sedit annis 5. mens. 7. dieb. 21. Hic fecit cimiterium via Salaria, & comprehensus damnatus est in carabulo. Quo nouem mensibus exactis in oratione & ieiunio nocte venit clerus eius, & exiit eum, & perduxit ad domum Lucinæ viduæ, quam dedicauit titulo sanctæ Ecclesiæ. Hoc audito Maxentius iussit, vt ibidem animalibus deseruiret. vnde in seruitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cuius corpus collegit beata Lucina, & sepeliuit in cimiterio Priscillæ, via Salaria. 17. Calend. Febr. & cessauit Episcopatus dieb. 30.

XXXII.

EVSEBIVS, natione Græcus, ex medicis, sedit annis 6. mens. 1. dieb. 3. Sub huius temporibus inuenta est crux Domini 5. Non Maii. à Iuda, qui post baptizatus est. Hic hæreticos inuenit, quos per manus impositionem reconciliauit. Qui etiam sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 6. Non Octobris. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XXXIII.

MELCHIADES, natione Afer, sedit annis 4. & constituit nulla ratione Dominica, aut 5. feria ieiunium celebrari: fecitq; vt

Q 4

oblatio-

oblaciones sacræ, quod est fermentum ex consecratione Episcopi per Ecclesias dirigerentur, ac sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 4. Idus Ian. Et cessauit Episcopatus diebus 16.

XXXIV.

SILVESTER, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annis 23. mens. 10. diebus 11. Hic fuit in exilio in monte Soracte. & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus à lepra. Cuius temporibus factum est Concilium ipso præcipiente in Nicæa Bythinæ, & congregati sunt trecenti 18. Episcopi Catholici, qui damnauerunt Arrium, Photinum, & Sabellium. In vrbe quoque Roma congregauit ipse cum consilio Augusti 277. & damnauit iterum Calixtum, Arium, Photinum & Sabellium. Constituit etiam, vt baptizatum liniret presbyter chrismate leuatum de aqua propter occasionem transitus mortis, & vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt diaconi dalmaticis in Ecclesia vterentur, & vt nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante iudicem causam diceret, nisi in Ecclesia. Et vt sacrificium altaris non in serico, neq; in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo; sicut corpus Domini nostri IESU Christi in sindone linea munda sepultum est. Vt si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, vt esset Lector annis 30. exorcista diebus 30. acolythus annis 5. subdiaconus 5. diaconus 7. presbyter tribus, probatus ex omni parte, & ab his, qui foris sunt, testimonium habere bonum, vnus vxoris virum à sacerdote benedictæ, & sic ad ordinem Episcopatus accedat. Hic sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, ab vrbe Roma milliaro 3. prid. Kalend. Ian. catholicus & confessor quieuit. Cessauitq; Episcopatus dies 21.

XXXV.

MARCUS, natione Romanus, ex patre Prisco. sedit annis 2. mens. 9. dieb. 20. Hic constituit, vt Episcopus Ostiæ, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio vteretur, & ab eodem Episcopus Urbis Romæ consecraretur. Qui obiit Nonis Octob. & sepultus est in cimiterio Balbinæ, via Ardeatina. Et cessauit Episcopatus dies 20.

XXXVI.

IVLIVS, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annis 15. mens. 2. diebus 5. Hic fuit missus in exilium à Constantio Imperatore hæreti-

hæretico mensibus 10. Post cuius mortem reuersus est. Et constituit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret: & rerum gestarum notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per notarios colligeretur, & in Ecclesia à clericis seruaretur. Qui etiam sepultus est, via Aurelia, in cimiterio Calepodii milliario 3. pridie Idus April. Et cessauit Episcopatus diebus 25.

XXXVII.

LIBERIVS, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis 6. mens. 4. dieb. 8. Hic pro eo, quod noluit consentire hæresi Arrianæ, fuit in exilio annis 3. Cuius consilio FELIX venerabilis presbyter in loco eius ordinatus est Episcopus. Qui inuenit duos presbyteros Ursacium & Valentem, consentientes Constantio Augusto Arriano, & damnauit eos in Cōcilio 48. Episcoporum. Qui Ursacius & Valens post paucos dies zelo ducti, rogauerunt Constantiū, vt de exilio reuocaret Liberium. Qui cōsensit eis, vt vna tantum participatione communionis conueniret cum hæreticis, tantum vt non rebaptizaretur. Post hæc fecit Constantius Concilium cum aliquibus, qui ex fæce Ariana erant, & eiecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & reuocauit Liberium. Depositus verò Felix 4. Kalend. Augusti, habitauit in prædiolo suo, via Portuensi. Ingressus quoq; Liberius in urbem 4. non. Augusti consensit hæreticis, non tamen rebaptizatus. & tenuit basilicas B. Petri & Pauli, & Constantinianam annis 7. Et fuit persecutio magna in vrbe Roma. Omnes itaq; anni Felicis in huius ordinatione dinumerantur. Sepultus tamen est Liberius via Salaria in cimiterio Priscillæ. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XXXVIII.

FELIX, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno 1. mens. 3. dieb. 2. Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & rebaptizatum secundò ab Eusebio Episcopo Nicomediensi in villa, quæ appellatur Aquilon. Pro quo facto capite truncatur cum multis clericis & fidelibus occultè iuxta muros vrbis ad latus formæ Traianæ, 3. Idus Nouemb. Et exinde rapuere corpus eius Christiani, cum Damaso presbytero, & sepelierunt in basilica supradicta eius via Aurelia 17. Kalend. Decembr. in pace. Et cessauit Episcopatus dies 38.

R

XXXIX.

** contentione.* **D**AMASVS, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annis 18. mens. 3. dieb. 10. & cum eodem ordinatur sub * intentione Vrsinus. Qui factò Concilio sacerdotum eiectus est ab vrbe, & Napoli constitutus Episcopus. Damasus fultus plurima multitudine in sede Apostolica permansit præsul. Qui tandem accusatus incriminatur de adulterio, & facta Synodo purgatur à 44. Episcopis, qui etiam damnauerunt accusatores eius, Concordium & Callistum, & proiecerunt de Ecclesia. Quæsiuitq; multa corpora Sanctorum, & inuenit, ac eorum memorias versibus decorauit. Constituit quoque, vt psalmi die noctuq; canerentur per omnes Ecclesias, ac sepultus est via Ardeatina in basilica sua 3. Idus Decembr. iuxta matrem suam, & germanam suam. Et cessauit Episcopatus dies 31.

XL.

SIRICIVS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annis 15. Hic constituit, vt nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam. nisi consecratum Episcopi susceperit, quod nominatur fermentum. Qui etiam exosos habuit omnes hæreticos, maxime Manichæos, quos inuentos in exilium deportari fecit, & constituit, vt si quis de Manichæis conuersus rediret ad Ecclesiam, nulatenus communicaret, nisi tantum relegatus monasterio vsque ad finem vitæ suæ ieiunus & orationibus vacans viaticum ei largiretur. Constituit etiam hæreticum sub manu impositionis reconciliari præsentem cuncta Ecclesia Qui sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, 8. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus, dies 20.

XLI.

ANASTASIVS, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annis 3. diebus 10. Hic constituit, vt quotienscunq; Euangelia sancta recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curui starent, & vt nullus clericum transmarinum suscipere, nisi sui Episcopi chirographum designaret, quia eodem tempore Manichæi inuenti sunt in vrbe. Sepultus est autem in cimiterio suo ad Vrsum pileatum. 5. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies 21.

XLII.

INNOCENTIVS, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annis 15. mensibus 3. dieb. 21. Hic inuenit Pelagium & Cælestium

lestium & hæreticos damnauit. Constituitq; vt natus de Christiana denuo nasceretur per baptismum, hoc est, baptizaretur, quod Pelagius damnabat. Constituit quoque, vt Sabbathi ieiunium celebraretur, quia Sabbatho Dominus in sepulchro positus est, & discipuli ieiunauerunt. Sepultus est autem in cimiterio ad Vrsū pileatum 5. Kalend. Aug. Et cessauit Episcopatus dies 22.

XLIII.

ZOZIMVS, natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annis 7. mens. 4. dieb. 24. Hic constituit, vt diacones læuam testā haberent de palliis linostimis, & per Parrochiā concessit, vt cereos benedicerēt. Et vt nullus clerico poculum publicū propinaret nisi tantum in cella fidelium, maximè clericorum. Et sepultus est, via Tiburtina, iuxta corpus B. Laurentii martyris 7. Kalend. Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 11.

XLIV.

BONIFACIUS, natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero, sedit annis 3. mens. 8. dieb. 6. Hic sub intentione ordinatus est cum Eulalio vno die. Et fuit diebus 15. & mensib. 8. dissensio magna in clero. Quod audiens Placidia Augusta cum filio Valentiniano Augusto, dum sederet Rauennæ retulit Honorio Augusto Mediolanis: & horum præcepto expulsi sunt ab vrbe ambo. Sed Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, præsumpsit intrare urbem & baptizare: & celebrauit Pascha in supra dicta basilica. Hoc audientes Augusti, miserunt, & eiecerunt eum foras in Campaniam, Bonifacium verò reuocauerunt in urbem & constituerunt Episcopum. Quo defuncto clerus & populus petiit Eulalium reuocari, sed ille reuetti noluit. Deniq; Bonifacius constituit, vt nulla mulier, aut monacha pallam sacratam contingeret, aut incensum poneret, nec seruum clericum fieri, nec obnoxium curiæ. Qui etiam sepultus est via Salaria iuxta corpus S. Felicitatis martyris 8. Kalend. Nouemb. Et cessauit Episcopatus dies 9.

XLV.

CÆLESTINVS, natione Campanus, ex patre Prisco, sedit annis 9. mensib. 10. diebus 17. Hic constituit, vt psalmi David 150. psallerentur ante sacrificium antiphonatim: ante enim tantū

R 2

epistola

epistola B. Pauli recitabatur, & sanctū Euangelium. Sepultus est .a. in cimiterio Priscillæ via Salaria, 8. Idus April. Et cessauit Episcopatus dies 20.

XLVI.

XISTVS, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annis 8. dieb. 19. Hic post annum vnum, & mensem 8. incriminatus est à quodam basso. Quod audiens Valentinianus Augustus iussit Synodum congregari, in qua examinatur à 46. Episcopis, & purgatur Xistus, & condemnatur Bassus, ita vt vltimo die viaticum ei non negaretur. Contra quem Valentinianus Augustus furore sancto permotus, prædia facultatum eius Ecclesiæ Catholicæ sociauit, ac post tres menses moritur. Cuius corpus Xistus Episcopus suis manibus tractans sepeliuit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo parentum eius. Qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta iuxta corpus B. Laurentii. Et cessauit Episcopatus, dies 22.

XLVII.

LEO, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annis 21. mense vno, diebus 13. Hic inuenit duas hæreses, Eutychianam & Nestorianam. Pro qua remisit ad MARCIANVM Augustum, orthodoxum Principem & catholicum, vt congregaret Concilium Episcoporum. Quod statim factum est, & congregati sunt sacerdotes 256. aliorum verò Episcoporum 408. Chirographus cucurrit cum chirographo S. Episcopi Leonis, hoc est, tomo, vbi continebatur fides Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ. Sub præsentia igitur Martiani Catholici Principis factum est Concilium 630. Episcoporum in Chalcedonia, in martyrio S. Euphemie. Qui exposuere fidem Catholicam, dicentes, in vno Christo DEO & homine duas naturas esse. Vbi piissimus Augustus cum Pulcheria coniuge sua Augusta deposita regia maiestate fidem suam sub chirographo exposuerunt ante conspectum omnium Episcoporum, qui damnauerunt Eutychen & Nestorium, & expositam direxerunt ad Leonem Papam beatissimum. Hic constituit, vt monacha non acciperet velamen benedictum in capite, nisi probata in virginitate fuerit 60. annis, & vt intra actionem sacrificii diceretur. *Sanctum sacrificium*, &c. Sepultus est autem apud B. Petrum Apostolum, 3. Idus April. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XLVIII

HILARIVS, natione Sardus, ex patre Crispino sedit annis 6. mens. 3. diebus 10. Hic firmavit 3. Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, vel tomum sancti Episcopi Leonis, & damnauit omnes hæresiarchas ac sequaces eorum. Confirmavit quoque dominationem & principatum sedis Catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Qui sepultus est ad S. Laurentium in crypta iuxta corpus B. Xisti Episcopi, 4. Idus Septemb. Et cessauit Episcopatus dieb. 10.

XLIX.

SIMPLICIUS, natione Tiburtinus, ex patre Castorio, sedit annis 15. mense vno, diebus 7. Cuius temporibus venit relatio de Græcia ab Achatio Constantinopolitano Episcopo affirmante, quod Petrus Alexandrinus Eutychnianista hæreticus factus esset, & quod in morte cuiusdam presbyteri Catholici permixtus esset. Quod audiens Smplicius præsul dissimulans nõ rescripsit Achatio, sed Petrum damnauit expectans tempus pœnitentiæ. Hic sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 6. nonas Martias. Et cessauit Episcopatus diebus 6.

L.

FELIX, natione Romanus, ex patre Felice presbytero de titulo Fasciola. sedit annis 8. mens. 11. dieb. 17. Quo tempore iterũ venit relatio de Græcia, Petrum reuocatum ab Achatio Episcopo Constantinopolitano. Quod audiens Felix Romanus Episcopus mittit defensorem cum consilio Sedis suæ, & in Concilio damnauit Achatium cum Petro. Post annum tertium iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, vt pœnitens rediret Achatius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Mesenum & Vitalem, vt si inuenirẽt complicem Petri Achatium, iterum damnarent eos. Si non, offerrent libellum pœnitentiæ. Qui cum introissent Constantinopolin, corrupti sunt pecunia, & non fecerunt, vt præceperat Dominus Papa. Qui post eorum reuersionem, facto Romæ Concilio examinavit ambos Episcopos, id est, Mesenum & Vitalem, & reos reiecit à communione. Sed Mesenus non tacuit peccatum suum, & ob hoc concessum est ei tempus pœnitentiæ. Sepultus est autem Felix in basilica B. Pauli Apostoli. Et cessauit Episcopatus dieb. 5.

LI.

GELASIUS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annis 4. mens. 8. diebus 18. Hic inuenit Manichæos in vrbe, quos in exilium deportari præcepit, & eorum codices incendio concremari, & in Synodo cum fletu sub satisfactione libelli purgatum Mesenum Episcopum reuocauit, & suæ Ecclesiæ restituit. Iterum venit relatio de Græcia quod à Petro & Achatio multa mala & homicidia fierent. Quo tempore fugiens Ioannes Alexandrinus Catholicus Episcopus venit Romam. Quem B. Gelasius cum gloria suscepit, & ei secundam sedem præbuit, factaq; Synodo misit per tractum Orientis, & iterum damnauit in perpetuum Petrum & Achatium, si non sub satisfactione libelli postularent pœnitentiam. Fecit etiam sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone. Qui sepultus est in B. Petri basilica 11. Kalend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 7.

LII.

ANASTASIVS, natione Romanus, ex patre Petro de regione quinta Caput tauri, sedit anno 1. mensibus 11. diebus 24. Hic propterea quia communicauit cuidam diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acatio sine consilio Episcoporum, presbyterorum, vel clericorum Ecclesiæ Catholicæ, suspenderunt se ab eius communione. Qui etiam, cum voluisset Achatium occultè reuocare, & non potuisset, nutu diuino percussus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 13. Calend. Decemb. Et cessauit Episcopatus dies 4.

LIII.

SYMMACHVS, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annis 15. mensibus 7. diebus 27. Hic sub intentione ordinatus est vna die cū Laurentio, & Symmachus quidē in basilica Cōstantiniana, Laurentius in basilica S. Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est Senatus. Et facta intentione vtraq; pars cōstituit, vt ambo ordinati ad iudicium Regis Theodorici Rauennā pergerent. Quod dum factum fuisset, iudicauit Rex, vt qui primus ordinatus fuisset, vel cui maxima pars consentiret, ipse teneret sedem Apostolicam. Vnde factus Præsul Symmachus est, & constituit Laurentium in Nucerinam ciuitatem Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos yerò quatuor zelo ducti aliqui ex clero, &

ex Sena-

ex Senatu, maximè Festus & Probinus, accusauerunt eundem Papam apud Theodoricum crimine pessimo, & subornauerunt falsos testes, quos miserunt Rauennam, & interim occultè reuocauerunt Laurentium. Diuisus quoque est iterum clerus. Tunc accusatores Symmachi miserunt ad regem, vt daret visitatorem sedis Apostolicæ. Quod factum est, & dedit Petrum Altinæ ciuitatis Episcopum, quod canones prohibent. Vnde prædictus Papa congregauit Episcopos 115. & facta Synodo purgatur à falso crimine: & damnatur Petrus Altinus inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus pro eo, quod viuentem Episcopo peruaserunt sedem eius. nam Symmachus à suis omnibus in sedem suam cum gloria restituitur. Quapropter indignati Festus & Probinus intra urbem cœperunt pugnare, maximè contra Faustum exconsulem, & omnes, qui communicabant Symmacho, quandoquidem gladio occidebantur clerici, sanctimoniales & virgines, quas de monasteriis extrahebant nudas. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia idem Papa inuenit Manichæos in vrbe, quorum libros incendit, & eos exilio relegauit. Hic omni anno per Africam vel Sardiniam ad Episcopos, qui exilio erant retrusi, pecunias & vestes ministrabat, & captiuos per diuersas prouincias redemit. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli confessor 14. Kalend. Aug. Et cessauit Episcopatus dies 7.

LIV.

HORMISDA, natione Campanus, ex patre Iusto, de ciuitate Frisinone, sedit annis 9. dies 17. Hic ex constituto Synodi, & cum consilio regis Theodorici direxit ad Græcias, humanitatem ostendens sedi Apostolicæ, quia Græci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum & Achatium Constantinopolitanum sub Ioanne Episcopo, legatos mittens Ennodium Episcopum Ticinensem, & Fortunatum Episcopum Catinensem, & Venantium presbyterum vrbis Romæ, & Vitalem Diaconum, & Hilarum notarium, ad Anastasium Augustum, qui nihil egerunt. propterea quia ipse in hæresin Eutychianam communicauerat. Item secundo misit Ennodium, & Peregrinum Episcopum Mesenensem, quos dum voluisset Anastasius pecunia corrumpere, nullatenus consenserunt, nisi satisfactionem sedis Apostolicæ operaretur. Tunc imperator repletus furia eiecit eos per posterulam, & imposuit in nauim periculosam, præcipiens Heliodoro & Deme-

trio, vt nullam ciuitatem Græcorum ingrederentur. Legati verò secretius sanctas epistolas fidei 19. per manus monachorum orthodoxorum exposuere per omnes ciuitates, quas Episcopi, qui erant complices Anastasii Augusti pro crimine Constantinopolim direxerunt. Qui furore repletus inter alia sua sacra hæc scripsit, dicens. Nos iubere volumus, non nobis iuberi, & post hæc nutu diuino percussus fulmine obiit. Cui successit in Imperium Iustinus Orthodoxus, qui direxit auctoritatem suam ad Hormisdam Papam Romanum, vt redintegraretur pax Ecclesiarum. Quam auctoritatem Papa suscipiens cum consilio regis Theodorici direxit Germanum Capuanum Episcopum, Ioannem & Blandum presbyteros, Felicem & Dioscorum diacones, & Petrum notarium, munitos fide, & textu libelli pœnitentiæ. Venientes autem iuxta Constantinopolim tanta gratia fidei refulsit, vt multitudo monachorū orthodoxorum, & illustrium virorum; Iustinus quoque Imperator, & Vitalianus Consul simul occurrerent ad castellum rotundum, q̄ ducit ad ciuitatē. Suscepti itaque sunt cum gloria & gaudio magno à clero & Ioanne Episcopo. Quod sentientes complices Anastasii, se incluserunt in Ecclesia maiore, quæ vocatur, sancta Sophia, & consilio facto mandauerunt Imperatori, dicentes. Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est Episcopus noster Acatius, nullatenus consentimus Sedi Apostolicæ. Hic quoque damnauit Petrum & Achatium, vel omnes hæreses, & inuenit Manichæos, quos cum examinatione plagarum in exilium deportauit, & eorū codices incendio concremauit. Eodem tempore venit cum gemmis pretiosis à rege Francorum Clodouæo Christiano donum B. Petro Apostolo. Sepultus est autem in basilica B. Petri Apostoli, 8. Idus Aug. Consulatu Maximi, Et cessauit Episcopatus dies 6.

L V.

IOANNES, natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annis 2. mensib. 9. diebus 17. Hic vocatus est à rege Theodorico Ra-uennam, quem & misit in legationem Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem orthodoxum, qui eius consilio vsus voluit amore religionis Christianæ hæreticos extricare, vt Ecclesias Arrianorum Catholicas consecraret. Pro qua re hæreticus rex Theodoricus exarsit, & voluit totam Italiam gladio extinguere. Tunc Ioannes Papa ægrotus cum fletu ambulauit, & senatores, & Consules cum eo, id est, Theodorus importunus, Agapitus Patritius, accipientes in mandatis, vt redderentur Ecclesiæ hæreticis in parti-
bus

bus Orientis, quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum ambulasset, occurrit ei omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honore B. Apostolorum Petri & Pauli. Et gaudebat Iustinus Augustus se suscepisse in partibus Græciæ Ioannem Papam Romanū, sicut Constantinus Augustus suscepit Siluestrum Episcopum. Qui Iustinus dans honorem DEO humiliavit se pronus, & adoravit Ioannem beatissimum rogantem cum grandi fletu, vt legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui postquam obtinuit, propter quod ierat, ipsi Iustino Augusto, vt vicarius B. Petri Apostoli rogatus manibus suis cum gloria coronam impoluit. Eodem tempore Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros & ex-consules, Symmachum & Boëthium, & interfecit eos gladio. Cum verò Ioannes venerabilis Papa, & Senatores eius comites reuertentur à Constantinopoli, prædictus Rex hæreticus cum grandi dolo & odio suscepit eos, quos etiam gladio voluit interficere, sed non ausus est metuens indignationem Iustini Augusti, quanquam permiserit in custodia afflictos * cremari. Ipse verò Papa afflictus ^{* cruciari.} in custodia defecit, & mortuus est martyr, 15. Kalend. Iun. Quem statim derepente est intereundo subsecutus ipse Theodoricus rex hæreticus. Corpus verò B. Ioannis translatum est de Rauenna, & sepultum est in B. Petri basilica 6. Kalend. Iun. Et cessauit Episcopatus dies 58.

LVI.

FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annis 4. mensibus 2. dieb. 13. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus diebus 3.

LVII.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Sigebaldo, sedit annis 2. diebus 26. Hic fuit ordinatus in basilica Iulii sub intentione cum Dioscoro, qui ordinabatur in basilica Constantiniana. Fuitq; dissensio in clero & senatu dies 28. Sed Dioscorus ipso anno 2. Idus Octobris defunctus est. Quem Bonifacius zelo ductus cum grandi amaritudine sub chirographo anathematizauit, & eum archiuo Ecclesiæ retrusit. Sed ei nullus subscribere voluit. Hic congregata Synodo in basilica B. Petri Apostoli, fecit cum chirographis sacerdotum iusiurandum ante confessionem Apostoli Petri in diaconum Vigiliam, vt sibi succederet. Vnde facta iterum Synodo

S censue.

cenſuerunt ſacerdotes omnes propter reuerentiã ſanctæ Sedis, quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum reſpicebat, qui ſibi ſucceſſorem conſtituiſſet. Quapropter Bonifacius reum ſe confeſſus eſt, quod in Diaconum Vigilium ſua ſubſcriptione chirographi ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli feciſſet, ipſumq; chirographum ſub præſentia omnium ſacerdotum & cleri, & ſenatus incendio conſumpſit. Tunc venit relatio ab Afris Epiſcopis de conſtitutione, & vt conſilio Domni Papæ omnia Carthaginenſis Epiſcopus faceret. Sepultus autem eſt in baſilica B. Petri Apoſtoli, ſub die 17. menſ. Octob. Et ceſſauit Epiſcopatus dies 15.

LVIII.

IOHANNES, q & Martirius, natione Romanus, ex patre Proiecto, de Cælio monte, ſedit annis 2. menſibus 4. diebus 6. Eodem tempore Iuſtinianus Auguſtus, vir religioſus ſummo amore Chriſtiane religionis miſit fidem ſuam ſcriptam chirographo proprio ad ſedem Apoſtolicam per Epiſcopos Epatium, & Demetrium. Sepultus eſt autem Ioannes Papa in baſilica B. Petri Apoſtoli, 6. Kalend. Iunias. Et ceſſauit Epiſcopatus dies 6.

LIX.

AGAPITVS, natione Romanus, ex patre Gordiano præſbytero ad ſanctos Ioannem & Paulum, ſedit menſib. 11. diebus 18. Hic libellos anathematis quos inuidiæ dolo extorſerat, Bonifacius à præſbyteris & Epiſcopis contra canones & contra Dioſcorū in medio Eccleſiæ congregatis omnibus incendio conſumpſit, & totam Eccleſiam abſoluit. Deniq; miſſus eſt à Theodato rege Gothorum ad Domnum Iuſtinianum Auguſtum, qui indignabatur contra eundem regem, quod occidiſſet Reginam Amalſuentham commendatam ſibi, filiam ſcilicet Theodorici regis, qui eum regē fecerat. Ingreſſus ergo Agapitus Conſtantinopolim 10. Kalend. Maii ſuſceptus eſt cum gloria, & cœpit altercationem habere cum Iuſtiniano Auguſto de religione. Reſponſumq; reddidit conſtantiffimè de Domino IESV Chriſto, DEO & homine, quod in vna perſona IESV Chriſti duæ ſint naturæ. Qua altercatione Anthemium Conſtantinopolitanum Epiſcopum inuenit hæreticum. Dixit itaque Imperator Agapito. Aut conſenti nobis, aut in exilium deportari te faciam. Cui reſpondit. Ego quidem peccator ad Iuſtinianū Imperatorem Chriſtianiffimum venire deſideraui, nunc autem
Diocle-

Diocletianum inueni. Scito tamen, te & Episcopum tuum idoneos non esse Christianæ religionis, nisi duas naturas in Christo confiteamini. Tandem ex præcepto Augusti accersito Anthemio & discussione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ responsionis, sed conuicit eum Sanctus Papa Agapitus, & ob id ab omnibus Christianis est glorificatus. Tunc Imperator gaudio repletus, humiliavit se, & adorauit beatissimum Papam Agapetum, quia communionem eiecit Anthemium, & expulit in exilium, & loco eius Mœnam nomine consecrauit Episcopum Catholicum. Qui etiam, postquam omnia obtinuit, pro quibus directus fuerat quadam ægritudine defunctus est Constantinopoli 10. Kalend. Mart. Cuius corpus in loculo plumbeo translatum est in basilicam B. Petri Apostoli, ubi & sepultum est, 12. Kalend. Octob. Et cessauit Episcopatus dies 58.

LX.

SILVERIVS, natione Campanus, ex patre Hormisda Episcopo Romano, sedit anno I. mensib. 5. dieb. II. Hic leuatus est à tyranno Theodato sine deliberatione decreti. Qui corruptus pecunia talem timorem induxit clero, ut qui non consentiret in huius ordinatione gladio puniretur. Quocirca sacerdotes non subscribere ante ordinationem eius secundum morem antiquum, sed postmodum. Post menses verò duos nutu diuino extinguitur Theodatus, & eleuatur rex Vuitigis. Qui Rauennam veniens tulit sibi uxorem filiam Amalafuentæ reginæ. Vnde indignatus Imperator Iustinianus misit Belesarium patritium cum exercitu, ut liberaret omnem Italiam à captiuitate Gothorum. Tunc veniens patritius in partes Siciliæ, audiuit, quod Gothi fecissent sibi regem. & inde per Campaniam properauit Neapolim, quam & obsidere cœpit, quia ciues Neapolitani noluerant aperire ei. Qui pugnando ciuitatem introiuit, & ductus furore interfecit & Gothos, & omnes ciues Neapolitanos, ita ut nulli sexui, vel ætati parceret, nec sacerdotibus, aut seruis DEI, vel sanctimonialibus. Factoq; maximo bello contra Vuitigis, ingressus est urbem Romam 4. Idus Decemb. & ciuitatem muniuit. Nocte ipsa, qua introiuit urbem, hi qui erant in ciuitate, vel foris, fugerunt Rauennam, & omnes portas dimiserunt apertas. Tunc colligens Vuitigis rex multitudinem exercitus Gothorum regressus contra Romam 9. Kalend. Mart. & fixit castra ad pontem Miluium, & vno anno ita obsessa est ciuitas Romana, ut nulli esset facultas exeundi, vel introeundi. Intra ciuitatem autem grandis

*remedium

fames erat, vt aqua venundaretur pretio, nisi Nympharum *rechedus subuenisset. Pugnae autem maxime erant, Belesario defendente Romanos vel ciuitatem: quam & liberauit à Gothis: quos postmodum Rauennam fugere compulit. Tunc erat Vigilius Diaconus apocrisarius in Constantinopoli, qui sciebat dolorem Augusti pro Anthemio Patriarcha, qui depositus fuerat à sanctissimo Agapito Papa, eo quod hæreticus repertus esset, & in locum eius Mænam seruum DEI constituisset. Consilio denique Vigilii misit Romanam epistolas Siluerio Papæ, rogans & obsecrans. Aut ad nos, ne pigriteris venire: aut certe reuoca Anthemium in locum suum. Quæ litteras dum legisset B. Siluerius, ingemuit, & dixit. Modo scio, quod hæc causa finem vitæ meæ adduxit. Fiduciam tamen habens in Domino rescripsit Augustæ. Domina Augusta, ego rem istam nunquam facturum ero, vt reuocem hominem hæreticum, in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit ad Belesarium iubens per Vigilium diaconem. Vide aliquas occasiones in Siluerium Papam, & deponere illum ab Episcopatu, aut certe festinus trans mitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium archidiaconem, & apocrisarium nostrum carissimum, qui nobis pollicitus est reuocare Anthemium patriarcham. Suscepta iussione Belesarius dixit. Ego quidem iussione facio, sed ille qui interest in nece Siluerii Papæ, ipse reddat rationem de factis suis Domino IESU CHRISTO. Et urgente iussione, exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt. Quadam vice inuenimus Siluerium Papam scripta mittentem ad regem Gothorum, in quibus continebatur. Veni ad portam, quæ appellatur, asinaria iuxta Lateranis, & ciuitatem trado ac Belesarium patritium. Quod audiens Belesarius non credidit, sciens, quod per inuidiam hæc dicerentur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, timuit, fecitque Siluerium ad se venire in palatium Pincis, & foris retineri omnem clerum. Cumque ingressus esset cum solo Vigilio, Antonina patritia, vt iacebat in lecto, videns eum dixit. Dic Domine Silueri Papa, quid fecimus tibi & Romanis, vt tu velles nos in manus Gothorum tradere? Adhuc ea loquente ingressus Ioannes Subdiaconus regionarius primæ sedis tulit palliū de collo eius, & duxit in cubiculum, vbi expoliatum eum induit veste monachica. Quem Xistus subdiaconus regionis sextæ videns monachum, egressus foras nunciauit ad clerum, dicens. Quia dominus Papa depositus est, & factus est monachus. Qui audientes, fugerunt omnes. Suscepit autem eum Vigilius archidiaconus in sua quasi fide, & misit in exilium in Ponzas, ac sustentauit eum pane tribu-

tribulationis & aqua angustia. Qui deficiens confessor mortuus est, & sepultus in eodem loco 12. Kalend. Iul. ibiq; saluantur infirmi. Et cessauit Episcopatus dies 5.

LXI.

VIGILIUS, natione Romanus, ex patre Ioanne Consule, feditannis 17. mensibus 6. diebus 26. Eodem tempore Belesarius commisit bellum contra Vuitigem regem Gothorum, quem fugientem noctu insecutus est Ioannes Magister militum, cui cognomen, Sanguinarius, & tenuit eum, adduxitq; ad Belesariũ, qui perduxit eum sub sacramento saluum ad Imperatorem Iustinianum Constantinopolim. Quem Imperator fecit patritium & comitem, transmisitq; iuxta fines Persarum, vbi vitam finiuit. Belesario verò eger gratias Imperator & Augusta, & remiserunt eum in Africam, quæ redacta est sub republica interfecto sub dolo pacis *Vuimarith rege Vandalorũ. Quo tempore scripsit Theodora Augusta ad Vigilium Papam, Veni, adimple nobis, quæ prona voluntate promisisti de patre nostro Anthemio, & reuoca eum in officium suum. Ad hæc rescripsit Vigilius. Absit hoc à me Domina Augusta. Prius locutus sum malè & insipienter, modo autem nullo modo tibi consentiam, vt reuocem hominem hæreticum & anathematizatum. Quod si indignus vicarius sum B. Petri Apostoli, quomodo fuerunt antecessores mei sanctissimi, Agapitus & Siluerius, qui eum damnauerunt? Tunc Romani suggererunt, quod consilio Vigilii depositus fuisset Siluerius, mandantes, quia malè agit cum Romanis seruis tuis, & cum ipsa plebe tua: sic enim est furiosus, vt daret alampam notario suo, qui mox cadens ad pedes eius expirauit. Item dedit neptem suam Vigiliam Astherio Cõsuli filio mulieris viduæ, quæ fecit teneri nocte, & tamdiu cædi, quamdiu vitam finiret. Quo audito Augusta misit Anthemium Scribonem cum virtute maiori ad Romam, dicens. Excepto in basilica S. Petri, parce. cæterum, si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet Ecclesia inueneris Vigilium, impositum mox naui perduc eum ad nos. Quod nisi feceris, per viuentem in sæcula excoriari te faciam. Qui Anthemius Scribonem veniens Romam, inuenit eum in Ecclesia S. Ceciliae 10. Kalend. Decemb. erat enim dies natalis eius. Qui munera erogando ad populum repertus est, & depositus ad Tyberim, missusq; in nauim, quem plebs & populus sequebatur, clamando, vt orationem ab eo acciperet. Et data oratione, dixit omnis populus, Amen. Et mota est nauis. Videntes Romani, quod mota est nauis, in qua sedebat Vigilius,

gilius, tunc populus cœpit post eum iactare lapides, fustes, cacabos, & dicere. Fames tua tecum, mortalitas tua tecum, malè fecisti cum Romanis, malè inuenias, vbi vadis. Et quidem amatores eius secuti sunt eum de Ecclesia. Qui ingressus Siciliam in ciuitate Catinensi permissus est facere ordinationem per mensem Decemb. presbyteros & diaconos. Ex quibus retransmisit Romam Ampliatum presbyterum vicedominum suum, & Valentinum Episcopum ad S. Rufinam, & Secundum ad custodiendum Lateranis, & gubernandum clerū. Qui valetaciens omnibus ingressus est Constantinopolim in Vigilia Domini nostri IESU Christi. Quē obuius Imperator osculatus est, & cœpit flere, ac plebs illa psallebat ante eū vsque ad Ecclesiam S. Sophiae, *Ecce aduenit dominator Dominus, &c.* Per biennium enim fuerant intentiones de Anthemio patriarcha, ostendentes cautionem manus eius, qua promiserat eum reuocare in locum suum. Sed Vigilus magis desiderans mori, quam viuere, nullatenus voluit eis consentire, & dixit. Vt video, non me fecerunt venire ad se Iustinianus & Theodora, sed Diocletianus & Eleutheria. Facite vt vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit a lapam in faciem eius quidam, dicens. Homicida, nescis quibus loqueris? nescis, quia Siluerium Papam occidisti? & filium mulieris viduæ calcibus & fustibus interfecisti? Tunc fugiens in basilicam S. Euphemiae tenuit columnam altaris. Qui tractus ab ea, & eiectus foris Ecclesiam, fecerunt mitti funem in collo eius, & traxerunt eum per totam ciuitatem vsque ad vesperum. Tunc missus est in custodiam, vbi dabantur ei modicè panis & aqua. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium per diuersa metalla incidenda. Tunc Gothi cum suo rege Bandua, qui Totila nuncupabatur, descendentes Romam obsederunt eam, & facta est fames in ciuitate Romana, vt etiam natos suos vellent comedere. Quadam itaque die intrauit rex Romam à porta S. Pauli, indictione 13. & habitauit cum Romanis, quasi pater cum filiis. Quidam verò de Senatoribus fugientes ingressi sunt Constantinopolim, & venerunt ad Imperatorem afflicti & desolati. Quos consolatus est Imperator, & misit Narsetem Eunuchum & cubicularium suum in Italiam. Cui data pugna cum Gothis donauit DEVS victoriam, & occisus est rex & multitudo Gothorum interfecta est. Tunc adunatus clerus rogauit Narsetem, vt vna cum eius suggestione rogaret Principem, vt si adhuc viueret Vigilus Papa, aut presbyteri, seu diaconi, vel clerus, qui cum eodem fuerat in exilium deportatus, reuerteretur. Suscepta relatione Narsetis, vel cuncti cleri Romani lætus

ni lætus effectus est Imperator & omnes inclyti eius, eo quod requiem dedisset DEVS Romanis. Mox misit, per diuersa loca, vbi fuerant in exilium deportati, in Gypso & Proconeso, & iussit ante se venire Imperator, dicens eis. Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester, an archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea erit vobiscum. Responderunt omnes. Imperet DEVS pietati tuæ, vt restituat nobis modo Vigilium, & quando voluerit eum DEVS transire de hoc sæculo, tunc cum vestra præceptione donetur nobis Pelagius noster archidiaconus. Tunc dimisit omnes cum Vigilio, & venerunt Siciliam in ciuitatem Syracusis, vbi afflictus calculi dolore mortuus est. Cuius corpus translatum est Romam. & sepultus est ad S. Marcellum via Salaria. Et cessauit Episcopatus menses 3. & dies 5.

LXII.

PELAGIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne Vicariano, sedit annis 11 mensibus 10. diebus 18. Quem, dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, eo quod multitudo religiosorum sapientium, & nobilium subdlexerat se à communionem eius, dicens, quia in morte Vigilii Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur, ordinauerunt duo Episcopi, Ioannes de Perusia, & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Hostia. Nam non erat in clero vel monasteriis, qui posset promoueri. Tunc Narses & Pelagius Papa consilio inito sumpta Litaniam à S. Pancratio cum hymnis & canticis spiritualibus venerunt ad S. Petrum Apostolum. vbi idem Papa tenens Euangelia & crucem Domini super caput suum in ambonem ascendit, & satisfecit populo, quia nullum malum peregrisset contra Vigilium, petiitq; confirmari, vt si quis ille est in sancta Ecclesia ab Ostiario vsque ad gradum Episcopi, neque per aurem, neque per aliquas promissiones proficiat, quia Simoniacum est. Mortuus est autem & sepultus in basilica B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 25.

LXIII.

IOANNES, ex patre Anastasio illustri, sedit annis 12. mensibus 11. dieb. 26. Eo tempore Heruli in Tharsiam venerunt, leuato super se rege Sindaldo, & premebant cunctam Italiam. Contra quos Narses egressus, regem eorum interfecit, & omnem gentem subiugauit. Deinde simili modo Immingus & Bucellenus duces Francorum premebant Italiam, sed auxiliante Domino, & ipsi à Narsete

*Sophia

interfecti sunt. Cumq; tali euentu gauderet tota Italia, Romani inuidia ducti suggererunt Iustiniano & * Suffinae, quia Romanis magis expetierat Gothicis seruire, quam Græcis, vbi Narfes Eunuchus imperat. Quod Narfes audiens de Roma venit Campaniam, & indignatus scripsit genti Langobardorum, vt venirent, & possideret Italiam. Quæ omnia, vt cognouit Ioannes Papa, festinus venit Neapolim, & obtinuit à Narfete, vt reuerteretur Romam: qui relicta Italia, p qua valde laborauerat, Constantinopolim redire decreuerat. Vtrique ergò reuerfi sunt. Et sanctissimus quidem Ioannes habitauit multo tempore in cimiterio Sanctorum Tiburtii & Valeriani. Narfes verò Romam ingressus post multum temporis mortuus est. Sanctissimus quoq; Ioannes & ipse mortuus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus mensibus 10. diebus 3.

LXIV.

BENEDICTVS, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annis 4. mense 1. diebus 29. Eodem tempore gens Langobardorum inuasit omnem Italiam, simulq; & fames nimia adeo, vt etiam multitudo castrorum se traderet Langobardis, vt temperare possent ab inopia famis. In istis itaq; laboribus & afflictionibus positus sanctissimus Papa mortuus est, & sepultus in B. Petri Apostoli basilica in secretario. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 10.

LXV.

PELAGIVS, natione Romanus, de patre Vnigildo, sedit annis 10. mens. 2. dieb. 10. Hic ordinatur absq; iussione Principis, eo quod obsiderent ciuitatem Romanam Langobardi, qui Italiam multa vastatione infestabant. Cuius temporibus tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuii superinundauerunt, & talis clades fuit, qualem à sæculo nullus meminit fuisse. Hic mortuus est, & sepultus ad B. Petrum Apostolum. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 25.

LXVI.

GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annis 13. mens. 6. diebus 10. Hic exposuit homilias Euangeliorum, & multa alia, quæ enumerare non possumus, adiecitq; in canone. *Dies nostros in tua pace dispone, &c.* Misit etiam prædicatores ad gentem

gentem Anglorum, qui eos conuerterent ad Dominum IESVM Christum. Domum quoque suam monasterium constituit. Qui mortuus sepultus est ad B. Petrum Apostolum ante Secretarium die 12. mensis Martii. Et cessauit Episcopatus menses 5. dies 19.

LXVII.

SABINIANVS, natione Tuscus, de ciuitate Blera, ex patre Bono, sedit annum 1. menses 5. dies 9. Quo tempore fuit fames grauis in ciuitate Romana. Qui facta pace cum gente Langobardorum iussit aperiri horrea Ecclesie & venundari frumenta pro solido vno modios 30. Hic in Ecclesia B. Petri Apostoli luminaria addidit. Qui sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli. Depositus autem est sub die 22. mens. Februar. Et cessauit Episcopatus mensibus 10. dieb. 26.

LXVIII.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit mensibus 8. diebus 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, vt sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia sedes Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Constituit etiam Synodum in Ecclesia B. Petri Apostoli, in qua sederunt Episcopi 72. presbyteri 30. diaconi 3. & clerus omnis, sub anathemate, vt nullus Pontifice viuente Episcopum ciuitatis se præsumat dicere, aut partes sibi de electione facere, nisi tertio die depositionis eius. tuncque adunato clero & filiis Ecclesie electio fiat. & quem quis voluerit, habebit sibi licentiam eligendi sacerdotem. Defunctus autem sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli die 12. mens. Nouemb. Et cessauit Episcopatus mens. 10. dies 6.

LXIX.

BONIFACIVS, natione Marsus, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne medico, sedit annis 6. mens. 8. diebus 13. Huius temporibus fames, pestilentia, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Qui petiit à Phocate principe templum, quod appellabatur Pantheon, in quo fecit Ecclesiam beatæ, semperque Virginis Mariæ. Qui defunctus die 25. mensis Maii, sepultus est ad beatum Apostolum Petrum.

T

LXX.

DEVS DEDIT, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annis 3. diebus 23. Hic clerum multum dilexit. Sacerdotes & clerum ad loca pristina reuocauit. Cuius temporibus veniens Eleutherius patritius & cubicularius Rauenna, occidit omnes, qui in necem Ioannis Exarchi, & iudicis Reipub. fuerant. Cumq; susceptus esset optimè à sanctissimo Deo sedit Papa, egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur à Ioanne Confino antarta. Contra quem pugnando interfecit eundem tyrannum, ingressus Neapolim, & cum eo alios multos: sicq; reuersus est Rauennam, vbi data militibus roga facta est pax magna in tota Italia. Hic constituit secundam Missam fieri in clero. Quo tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto, indictione 6. Post hæc secuta est clades scabierum in populo, ita vt nullus esset, qui posset mortuum suum recognoscere. Qui defunctus sub diem 8. mensis Nouemb. sepultus est ad B. Petrum Apostolum. Hic dimisit pro obsequio suo ad omnem clerum rogam vnã integram. Et cessauit Episcopatus mense 1. diebus 16.

LXXI.

BONIFACIUS, natione Campanus, de ciuitate Neapoli, ex patre Ioanne, sedit annis 5. Hic constituit, vt testamentum valeat secundum iussionem Principis, & vt nullus trahatur de Ecclesia, nec præsumat acolythus reliquias Sanctorum Martyrum leuare, nisi presbyter, & vt in Lateranis acolythus non baptizet cum diacono, sed subdiaconi sequentes. Eodem tempore ante diem ordinationis eius Eleutherius patritius & Exarchus antarta assumpsit regnum. Qui veniens ad ciuitatem Romanam, in castro, quod dicitur, Luciolus, à militibus Rauennatibus interfectus est, & caput eius delatum Constantinopolim ad piissimum Principem. Defunctus autem beatissimus Bonifacius sepultus est ad B. Petrum Apostolum die 25. mensis Octob. Et cessauit Episcopatus dies 13.

LXXII.

HONORIUS, natione Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annis 12. mensibus 11. diebus 17. Hic constituit, & decreuit in Ecclesia, vt omni hebdomada Sabbatho die exeat Letania à S. Apollinari ad B. Petrum Apostolum, & cum hymnis & canticis

ticis omnis populus ei occurrere debeat. Qui sepultus est vbi supra, sub die 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus anno 1. mens. 7. diebus 18.

LXXIII.

SEVERINVS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit mensibus 2. diebus 4. Huius temporibus, cum tantum esset electus, nondum autem ordinatus, deuastatum est Episcopium Lateranense à Mauritio chartulario, & Hisatio patritio Exarcho Italiae, qui aduersus Ecclesiam DEI inuito consilio concitauerunt exercitum Romanum, dicentes. Quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sint in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & militibus nihil exinde subuenitur, quando & rogæ vestræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandauit, ibi sunt à sancto viro reconditæ? His auditis omnes armati à puero vsq; ad senem venerunt ad prædictam Ecclesiam, quam tamen irrumpere non potuerunt, resistētibus his, qui cum sanctissimo Seuerino aderant. Vnde Mauritius, quod vi non potuit, dolo fecit ingressus vestiarius Lateranensis Episcopii, & sigillauit omnia, quæ Christianorum pietas pro redemptione animarum suarum sancto Petro reliquerat. Misitque postmodum Rauennam epistolas ad Hisatium patritium, qui illicò Romam veniens omnes primates Ecclesiæ in exilium deportari iussit, ne esset qui impediretur suis negotiis. Deinde post dies aliquantos ingressus Lateranense Episcopium per dies 8. deprædatus est illud, partemq; maximam direxit Constantinopolim Heraclio Imperatori, & sic ordinatus est sanctissimus Seuerinus. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. non. August. Et cessauit Episcopatus menses 4. diebus 29.

LXXIV.

IOANNES, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, sedit anno 1. mensibus 9. diebus 19. Hic misit multas pecunias per omnem Dalmatiam seu Histriam per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captiuorum, qui à gentibus deprædati fuerant. Sepultusq; est ad B. Petrum Apostolum sub die Id. Octob. Et cessauit Episcopatus mēse 1. dieb. 10.

LXXV.

THEODORVS, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de ciuitate Hierosolyma, sedit annis 6. mensibus 5. diebus 18. Huius

18. Huius temporibus Mauritius Chartularius, per quem Hifacius multa mala operatus est, coniurauit contra eundem Hifacium adiunctis sibi omnibus, qui in circuitu ciuitatis Romanæ per castra morantes Ecclesiam DEI deuastauerant, volens sibi regium nomē imponere. Hæc audiens Hifacius misit Donum magistrum militū & Sacellarium suum ad ciuitatem Romanam, cui, relicto Maurizio, occurrit omnis exercitus Romanus. Ipse verò Mauritius fugit ad S. Mariam ad præsepe. Vnde abstractus misere boias in collo eius, ac cum omnibus suis consiliariis inboiatis transmissus est Rauennam per manus Marini Scribonis, & Thomati Chartularii. Quem etiam iuxta Rauennam in loco, qui dicitur, Ficudas 12. milliario à ciuitate decollauerunt, sicut ab Hifatio mandatum fuerat. Cuius caput perductum est Rauennam. Quod postquam vidit Hifacius, valde gauisus ad exemplum multorum iussit per ciuitatem circumferri, & post in stipite poni. Illos autem, qui cum ipso directi fuerat inboiati, positos sub arcta custodia, dum cogitaret, qua morte eos puniret, nutu DEI percussus interiit, & hi de carcere ad sua sunt reuersi. Audiens quoq; Imperator mortem Hifatii, misit Theodorum patritium exarchum, cui cognomentum, Calliopa, ad regendam omnem Italiam. Quo tempore venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Episcopus & patriarcha Constantinopolitanus ad limina Apostolorum, & libellum cum sua subscriptione obtulit Apostolicæ Sedi, condemnans omnia, quæ à se, vel à decessoribus suis scripta vel acta sunt, aduersus immaculatam nostram fidē. Quem honorans Domnus Papa, vt sacerdotem regie ciuitatis, fecit ei cathedram iuxta altare poni. Sed rursus, cum more canis ad proprium impietatis vomitum repedasset, sanctissimus Theodorus conuocauit vniuersos sacerdotes, & clerum, ac in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis condemnauit eum sub vinculo anathematis. Deinde Paulum regie ciuitatis patriarcham regulariter increpauit, nec non per apocrypharios admonuit, quatenus proprium emendaret commentum, atq; ad orthodoxam fidem, catholicamq; Ecclesiam remearet. Qui tandem, cum eum non posset à suo conamine reuocare, secundum Apostolicam auctoritatem depositionis ultione percussit. Sepultus est autem B. Theodorus ad B. Petrum Apostolum, pridie Idus Maii.

LXXVI.

MARTINVS, de ciuitate Tudertina provincie Tuscie, sedit annis 6. mense 1. diebus 26. Huius temporibus Paulus Constanti-

stantinopolitanæ vrbis Episcopus spiritu superbæ inflammatus, non solum verbis, sed etiam libris sententiis nefandissimorum hæreticorum catholicum dogma eneruare studuit; definiens, nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo Domino cōfiteri. Qua præsumptione ad tantam insaniam deuenit, vt altare sanctæ Romanæ sedis, quod erat in domo Placidia sacratum, subuerteret, atque apocriarios nostros immaculatam hostiam ibidem offerre prohiberet. Ipsi verò Apocriarii dicendo eum constanter hæreticum detenti sunt, & in custodiam retrusi: alii autem in exilium deportati, nonnulli verberibus afflicti. Quod audiens Martinus sanctissimus Episcopus, misit, & congregauit Episcopos in vrbe Roma 105. fecitq; Synodum secundum instituta orthodoxorum Patrum in Ecclesia Saluatoris iuxta Episcopium Lateranense, residentibus Episcopis ac presbyteris, & assistantibus diaconibus, & clero vniuerso, vbi condemnauerunt sub anathematis ultione percussos Cyrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium & Paulum patriarcham Constantinopolitanum. Iphis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium cubicularium & exarchum ad regendâ omnem Italiam, præcipiens ei, sicut Paulus suggererat, vt in typo libelli ab eodem Paulo editi omnes Episcopos Italiae subscribere faceret. Si autem quoquo modo fieri posset, ipsum Martinum Papam teneret, quia tunc facilius Episcopi Italiae subscriberet. Quod si Romanus, vel Rauennatis exercitus contradiceret, & impræsentiarum sileret, donec omnem obtineret prouinciam. Cuius iussis parens Olympius venit Romam, & inuenit sanctam Romanam Ecclesiam in fide Catholica firmissimam, voluitq; armatus cum exercitu schisma intromittere, sed prohibitus DEI virtute necesse habuit palam declinare à sua mala intentione. Vnde in Ecclesia sanctæ DEI genitricis Mariæ ad præsepe, dum ei Dominus Papa inter Missarum sollempnia communionem porrigeret, voluit eum interficere: ita enim mandauerat suo spathario, quem DEVS omnipotens excæcauit, ne sanctissimi Episcopi sanguis effunderetur, & Ecclesia Catholica hæresi subiugaretur. Nam prædictus armiger iureiurando ita accidisse professus est. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus DEI circumtegebat Martinum sanctissimū Papam, pacem cum eo iniit, ac deinde collecto exercitu Siciliam profectus est aduersus gentem Sarracenorum, vbi maior pars exercitus Romani interiit, & exarchus ipse morbo decessit. Cui successit directus ab Imperatore Theodorus exarchus, qui cognominabatur Calliopus, cum Theodoro imperiali cubiculario, qui & Pellurius

dicebatur. Qui tollentes Martinum Papam de Ecclesia Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, & nec sic eis acquieuit. Quapropter directus est in exilium, vel locum qui dicitur, Cersona, vbi, sicut DEO placuit, vitam in pace finiuit sub die 17. mensis Septembris. Qui confessor multa mirabilia operatur vsq; in hodiernum diem.

LXXVII.

EVGENIVS, natione Romanus, de regione prima Auentinēsi, clericus à cunabulis, ex patre Rufiniano, sedit annis 2. mensibus 9. diebus 24. His temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam iuxta consuetudinem ad sedem Apostolicam omninò obscurissimam, in qua non declarauit operationes aut voluntates in Domino nostro IESV Christo. Vnde accensus populus vel clerus cum maiore strepitu eam à sancta DEI Ecclesia proiecerunt, ita vt nec eundem Papam dimitteret Missas celebrare in basilica sanctæ DEI genitricis Mariæ ad præsepe, nisi promississet se minimè eam suscepturum. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 4. nonas Iun. Et cessauit Episcopatus mense 1. diebus 28.

LXXVIII.

VITALIANVS, natione Segnensis, ex prouincia Campania, ex patre Anastasio, sedit annis 14. mensibus 6. Hic direxit responsales suos cum Synodica iuxta consuetudinem in regiam urbem ad piissimos Principes, significans de sua ordinatione. Cuius temporibus venit Constantinus Augustus Romam, susceptus ab eodem Papa, cui & occurrit, indiçtione sexta, quinto milliario ab vrbe. Cumq; per duodecim dies in ciuitate Romana demoratus per diuersa loca plurima dona obtulisset, omnia quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis deposuit. Sed & Ecclesiam S. MARIE ad Martyres tegulis æreis discooperuit, & cum aliis rebus in regiam urbem direxit. Reuersus autem Siciliam habitauit Syracusis, vbi tales afflictiones populo prouinciarum Calabria, Sicilia, Africa, vel Sardinia per diagrapha, seu capita atque nauticationes imposuit, quales à sæculo nunquam fuerant auditæ, auferens vasa sacra, vel cimilia sanctarum DEI Ecclesiarum. Qui postmodum 15. die mensis Iulii, per indiçtionem 12. proditus in balneo occisus est. Secuta est statim mors sanctissimi Vitaliani, qui sepultus est ad S. Petrum Apo-

Apostolum sub die 6. Kalend. Februar. Et cessauit Episcopatus mensibus 2. diebus 13.

LXXIX.

ADEODATVS, natione Romanus, ex monachis, ex patre Iouiano, sedit annis 4. mensib. 2. diebus 5. Huius temporibus Mezentius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali arrepto regno intarzizauit, & exercitus Italiae per diuersa fugit, quousq; DEO auxiliante idem interemptus est, & caput eius intarta Constantinopolim perductum. Post cuius mortem Sarraceni Siciliam obtinuerunt, & multis occisis, populus in montanis, seu in castris confugium fecit. Illi verò reuersi Alexandriam secum asportauerunt, quæ à ciuitate Romana illuc nauigio fuerat delata. Prædictus quoque sanctissimus vir casalia conquisiuit, & in vita sua Abbatem & congregationem ibidem constituit. Post cuius transitum tantæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas meminit. Et nisi per Letanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus esset, homines & pecora interirent. Renascentibus quoq; leguminibus denuò in campis propter nimias pluuias nil triturae in horrea recondere valebant. Sepultus autem est beatissimus Adeodatus ad S. Petrum Apostolum sub die 6. Idus Iul. Et cessauit Episcopatus mensibus 4. diebus 15.

LXXX.

DONVS, natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit anno 1. mensibus 6. diebus 10. Hic repperit in vrbe Roma in monasterio, quod appellatur, Boëziana Nestorianistas monachos Syros, quos per monasteria diuersa diuisit, & ibidem monachos Romanos instituit. Cuius temporibus Ecclesia Rauennæ, quæ se ab Ecclesia Romana segregauerat causa autocephaliæ denuò se pristinae sedi Apostolicæ subiugauit. Cuius Ecclesiæ præsul, nomine Reparatus, euestigiò, vt DEO placuit, vitam finiuit. Hic dum esset electus Augusto mense, stella à parte Orientis apparuit à Gallicantu vsque mane per tres menses, & eius radii cælos penetrabant. Quæ post semetipsam reuersa disparuit, & à parte orientis maxima mors hominum subsecuta affuit. Sepultus autem est ad B. Petrum Apostolum sub die 3. Idus April. Et cessauit Episcopatus mensib. 2. dieb. 15.

LXXXI.

AGATHO, natione Siculus, sedit annis 2. mensibus 6. diebus 3. Huius temporibus Theodorus Archiepiscopus Rauennæ

T 4

semet-

semetipsum sedi Apostolicæ post multorum annorum curricula præsentavit. Suscepit autem diualem iussionem piissimorum Principum Constantini, Heraclii & Tyberii Augustorum per Epiphanium gloriosum à secretis, quæ missa fuerat prædecessori suo Dono Papæ, exhortans, vt debeat sacerdotes vel missos suos dirigere in regiam urbem pro adunatione sanctarum DEI Ecclesiarum. Quod facere non distulit, & Episcopos ac presbyteros, vel religiosos monachos illuc quantocyus direxit. Quo tempore Luna Eclypsin pertulit. 18. die mensis Iunii, indictione 8. Quam mortalitas grauissima per tres sequentes menses subsequuta, intus & foris urbem talis depopulata est, qualis nec aliorum Pontificum temporibus fuisse memoratur. Ingressi deniq; legati Apostolicæ Sedis regiam urbem die 10. mensis Nouemb. indictione 9. Domino comitante sunt suscepti in oraculo B. Petri Apostolorum Principis intra palatium, porrigentes ei & scripta Pontificis. Quos dum suscepisset, commouit, vt remittentes assertiones philosophicas, non furore, sed pacifica dispositione puram sanctorum Patrum, scripturarumq; comprobata fidem per Synodalia decreta satisfacerent, & inducias ad retractandum dedit, tribuens eis omnia, quæ ad sustentationem sufficiebant in domo, quæ appellatur Placidia. Dominica itaque die euocatis ad sanctam Dei Genitricem ad Blachernas in tanta honorificentia, vt etiam eis in palatio caballos cum obsequio dirigeret. Die quoque 22. mensis Nouemb. in basilica, quæ Trullus appellatur sub regali cultu resedit Imperator, & cum eo Georgius patriarcha Constantinopolitanus, & Macarius Antiochenus, missiq; sedis Apostolicæ cum Episcopis Orientalium partium, numero 150. Post hæc intromiserunt libros, & tomos diuersos, & Synodos, quas falsauerunt hæretici æstimantes, non propter veritatem, sed per mendacium superare, qui non duas, sed vnam voluntatem & operationem dicebant in Christo; quod coram Principe & Synodo claruit. Deinde præcepit pius Princeps missos in Synodo residere præsentantes locum sanctissimi Agathonis Papæ. Quibus dictum est, vt omnes libros, quos scirent ad causam fidei pertinere coram Synodo deferrent. quod & factum est. Et vocato Georgio diacono, & cartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ præceptum est ei, vt iuxta eorum notitiam codices ex bibliotheca Ecclesiæ ad medium deducerentur. In quibus repertum est duas naturas, duasque voluntates vel operationes esse in Christo. Contraque confessus Macarius inuentus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio Patriarchæ, vt minimè in Ecclesia sua susciperet eundem

dem

dem Macarium eiusq; sequaces. Deinde, vt veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram Synodo venerabilium Parrum dicta Ioannis Constantinopolitani, Cyrilli, Arhanasii, Basilio, Gregorii Nazianzeni, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, & Leonis duas naturas, duas voluntates vel operationes in Christo dicentes ad satisfactionem Principis, vel Synodi. Sequenti die relecta est Synodica sanctissimi Agathonis Papæ, quam Catholicis Patribus comprobata subscripserant Occidentales Episcopi 120. Post hæc hortati sunt Macariū omnes, vt de voluntate vel operatione Christi suam proferret sententiam. Qui cum neq; vnam, neq; duas voluntates, vel operationes dicere vellet, Serenissimus Princeps totum ipsius Macarii protulit, in quo apertissimè vnam voluntatem in Domino affirmauerat, & manu sua subscripserat cum Theodoro & Georgio Patriarchis. Sed Georgius sanctissimus Patriarcha sui erroris pœnituit, & ita credere se, & prædicare professus est, sicut sedes Apostolica tradit. Vnde cum aliis Catholicis anathematizauit omnes hæreticos, & ipsum Macarium, postquam iussu Synodi & Principis ei ablatum est orarium à Basilio Cretensi Episcopo, & anathematizatum foris Synodum simul cum suo throno proiecere. Stephanum autem discipulum eius ceruicibus à S. Synodo Romani clerici expulerunt. Eadem hora tantæ telæ araneorum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur, ac ita sordibus hæreseon expulsis vnica est sancta DEI Ecclesia. In locum verò Macarii ordinatus est Theophanius Abbas monasterii Pagias insulæ Siciliensis, & factus est patriarcha Antiochenæ Ecclesiæ. Macarius quoq; cum suis amatoribus directus est in exilium ad ciuitatem Romanam. decretumq; est, vt tollantur nomina Patriarcharum de dyptichis Ecclesiarum, vel de picturis, aut foribus, vbi esse poterant, id est, Cyri, Sergii, Pyrrhi & Paulli, nec non & Petri, per quos error iste pullulauerat. Catholici verò populi tanta fuit gratia, vt ad lætitiā sancti Concilii, quod in regia vrbe erat, Ioannes Portuensis Episcopus, qui vnus Legatorum erat, Dominicorum die octauæ Paschæ in Ecclesia S. Sophiæ coram Principe & Patriarcha publicas Missas latinè celebraret, & vnanimiter oēs laudes & victorias piissimorum Imperatorum adclamarent. Suscepit etiam diualem iussionem secundum suam postulationem, qua releuata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis, sic tamen, vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, nisi prius decretum generale introducatur à regia Vrbe secundum antiquam consuetudinem. Sepultus est

V

autem

autem sanctus Agatho ad B. Petrum Apostolum 4. Idus Ianuar. Et cessauit Episcopatus anno 1. mensibus 7. diebus 5.

LXXXII.

LEo iunior, natione Siculus, de patre Paulo, sedit mensibus 10. diebus 17. Hic fuit eloquentissimus, in diuinis Scripturis sufficienter institutus, græca latinaq; lingua eruditus, cantilena ac psalmodia præcipuus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Hic suscipiens sanctam 6. Synodum, quæ in regia vrbe acta fuerat sub Constantino Principe à duobus Patriarchis, Constantinopolitano & Antiocheno atq; 150. Episcopis, eam studiosissimè de græco in latinum transtulit. Qui etiam damnatis aliis hæreticis duos tantum absoluit, id est, Anastasium presbyterum, & Leontium diaconum in die sancto Theophaniæ exponentes per propria scripta fidem suam, iuxta quod sancta Synodus determinauit. Huius temporibus percurrente diuali iussione piissimi Principis restituta est Ecclesia Rauennatis sub ordinatione Apostolicæ sedis, vt defuncto Archiepiscopo electus ad ciuitatem Romanam veniat ordinandus. & constituit, quid soluere debeat pro vsu pallii, aut diuersis Ecclesiæ officiis. Sed & ne Mauri quondam Episcopi anniuersitas aut Agenda celebretur, nec non typum autocephaliæ, quæ sibi elicuerant ad amputanda scandala sedis Apostolicæ restituerunt. Eiusdem quoque temporibus Luna Eclypsin pertulit die 15. mensis Aprilis, indictione 11. Post cœnam Domini nocte pœne tota in sanguinem versa. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die 5. Nonas Iulias. Et cessauit Episcopatus menses 11. dies 22.

LXXXIII.

BENEDICTVS iunior, natione Romanus, patre Ioanne, sedit menses 10. dies 12. Hic à puerili ætate in scripturis & cantilena doctissimus & benignus, suscepit diuales iussiones Constantini magni Principis ad venerabilem clerum & populum, atq; fælicissimū exercitum Romanæ ciuitatis, per quas concessit, vt qui electus fuerit in Sede Apostolica euestigio absque tarditate Episcopus ordinetur. Hic vna cum clero & exercitu suscepit mallones capillorū Domni Iustini & Heraclii filiorum clementissimi Principis. Quo tempore apparuit stella noctu veluti luna sub nube inter natalem Domini & Theophaniam. Item prope exitum mensis Februarii in die ab

die ab occasu exiit stella meridie, & in partes Orientis declinavit. Post hoc mons Bebius, qui est in Campania mense Martio per diem eructauit, & omnia loca circumquaque præ puluere exterminata sunt. Qui euestigiò infirmitate detentus defunctus est ac sepultus ad S. Petrum Apostolum sub die 8. Idus Maii. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 15.

LXXXIV.

IOANNES, natione Syrus, de prouincia Antiochiæ, patre Quiriaci, sedit anno 1. diebus 9. Hic valde strenuus, atque scientia præditus, cum esset Diaconus, missus à sanctæ memoriæ Agathone Papa in regiam urbem cum aliis sacerdotibus, repræsentauit locum Apostolicæ Sedis in sancta sexta Synodo. Qui impetratis à clementissimo Principe his, pro quibus ierat, reuersus est, & in Ecclesia electus Constantiniana. Quo tempore regnabat Iustinianus Augustus defuncto patre in initio mensis Septemb. indictione 14. & statim auxiliante Deo constituit pacem cum gente Sarracenorum decennio terra marique. Sed & prouincia Africæ subiugata est Romano Imperio, ac restaurata. Hic post multorum annorum curricula Episcopum Turritanæ Ecclesiæ, quem sine auctoritate Romani Pontificis fecerat Cironatus Archiepiscopus Caralitanus sub ditionem eiusdem Ecclesiæ redintegrauit atque firmauit. Qui sanctissimus vir diutina detentus infirmitate defunctus est ac sepultus ad B. Petrum Apostolum secunda die mensis Augusti. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 18.

LXXXV.

CONON, oriundus patre Traceseo, educatus apud Siciliam, postmodum Romam venit eidem Ecclesiæ militaturus, atque ad presbyterii honorem deuenit; sedit mensibus 11. In cuius electionem consensus clerus & populus, dum non minima contentio facta esset, eo quod clerus in Petrum Archipresbyterum, & exercitus in sequentem eius Theodorum presbyterum intendebat. Cumque clerus ante fores basilicæ Constantinianæ obseruaret custodias & exercitus in basilica B. Stephani protomartyris, atque neutra pars alteri cederet, sacerdotes & clerus vnanimiter ingredienti Episcopium Lateranense, elegerunt supradictum Pontificem, in quo verè erat aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus. Quod videns exercitus post aliquantos dies flexus cum clericis subscri-

plis, &, vt mos est, legatos ad excellentissimum Theodorum exarchum direxit. Hic suscepit diualem iussionem Iustiniani Principis, qua significat acta sextæ Synodi apud se habere, quæ piæ memoriæ Domnus Constantinus genitor eius DEO auxiliante fecerat. Huius temporibus pietas Imperialis releuauit duo centena annonæ, quas Brutiis & Lucaniæ annuè persoluebant. Hic vltra consuetudinem absque consensu cleri Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ Rectorem in patrimonio Sicilia constituit, hominem ferum & tergiuersutum, cui mappulis ad caballicandum vti licentiam concessit. Vnde post discessum Pontificis seditio super eum orta à ciuibus ob patrimonii lites, à iudice prouinciæ sub arcta custodia est retrusus, pro eo quod in dissensione Iudicium inueniebatur. Cùmq; sanctissimus Pontifex diutina infirmitate detentus obiisset, dimisit omni clero & monasteriis multa in auro, sunt præcessor eius Benedictus Papa. Cuius archidiaconus videns eundem infirmari, cupiditate ductus aurum soluere noluit, sed scripsit Rauennæ moranti Ioanni glorioso nouo exarcho promittens dona, si factione illius ipse ad Pontificium eligeretur. Quod exarchus Romam mittens fieri voluit, Sepultus est autem beatissimus Pontifex ad B. Petrum Apostolum, sub die 22. mensis Septemb. Et cessauit Episcopatus. menses 2. dies 23.

LXXXVI.

SERGIVS, natione Syrus, Antiochia regione ortus, de patre Tiberio in Panormo Sicilia, sedit annis 13. mensibus 8. diebus 23. Hic Romam veniens sub sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice in clero Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat, & capax in officio cantilenæ, priori Cantorum pro doctrina est traditus, acolythusq; factus per ordinem ascendit vsque ad presbyteratum, quo consecratus est à Leone Pontifice in titulo S. Susannæ. Cumq; defuncto sanctæ memoriæ Conone, vt fieri solet, populi Romani pars consentiret in electione Theodori archipresbyteri, pars in electione Paschalis archidiaconi, & vtraque pars immaniter in ceptis perduraret, primates iudicum, & exercitus Romanæ militiæ, vel cleri plurima pars ad sacrum palatium perrexerunt, & inuito consilio tractauerunt, qualiter altercantium sopiretur intentio, sicq; DEO afluente in personam prædicti Sergii deuenerunt. Quem de medio populi tollentes in oraculum B. Cæsarii martyris Christi, quod est intra palatium, introduxerunt, & exinde ad Lateranense Episcopium cum laudum adclamationibus deduxerunt.

Quo.

Quo palatium ingresso vnus è duobus electis, id est, Theodorus archipresbyter illico quieuit, ac se humiliando salutauit & osculatus est. Paschalis verò nullo modo primitus acquieuit, verum tandem aliquando salutauit. Sed clanculo tamen non cessabat Rauennâ mittere, persuadens Ioanni Partitio & exarcho Romam venire. Qui amore promissæ pecuniæ veniens, dum omnes in personam Sergii sanctissimi inuenisset consensisse, Paschali id quidem suffragari non valuit, & ideo Ecclesiæ B. Petri Apostoli suo stipendio damnnum intulit, adeo vt centum libras auri à prædicto Pontifice exigeret, quas prædictus miserimus Archidiaconus promississet. Qui post multum tempus propter incantationes & *loculos quos colebat, vel sortes, quas tractabat priuatus in monasterio retruditur, ac post quinquennium præcordis duritia impœnitens est defunctus. Deniq; huius Sergii temporibus Iustinianus Imperator fieri Cõcilium iussit in regia vrbe, in qua & legati Sedis Apostolicæ quibusdam capitulis extra *cetum Ecclesiasticum editis decepti subscripserunt, & Romano Pontifici, vtpote capiti sacerdotum omniũ, vt subscriberet, direxerunt. Verum beatissimus Pontifex penitus non acquieuit, nec eosdem tomos suscipere, aut lectioni pandere passus fuit, sed vt inualidos respuit atque abiecit. eligens ante mori, quàm nouitatum erroribus consentire. Vnde indignatus Imperator Magistrum Romam misit, qui Ioannem DEO amabilem Portuensem Episcopum, seu Bonifacium consiliarium Domini Papæ in regiam transferret urbem. Deinde Zachariam protospatharium suum direxit iubens idem facere de Romano Pontifice. Porrò misericordia DEI excitatum est cor Rauennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, qui hoc prohibuerunt fieri, ingressi per portam B. Petri cum armis & turba Lateranensis Episcopii volentes videre Pontificem, quem sublatum nauigio per noctem fama vulgauerat. Egressus igitur sanctissimus Sergius Pontifex obuiam militibus ante fores basilicæ, quæ dicitur Domni Theodori Papæ suauis responso eorum liniuit corda, & Zachariam, qui sese sub lecto eius absconderat, de manibus eorum eripuit, quia eum cum iniuriis & contumeliis à Romana vrbe expellere volebant. Quo in tempore, is, qui eum miserat, DEO retribuente, regno priuatus est & Ecclesiæ status Christo præfule seruatus est. Ceterum beatus vir in sacrario S. Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo iacentem inuenit, cui sigillum impressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius *plumbazium ex holoserico superpositum, quod staurarium dicitur inuenit, eoq; ablato inferius crucem

diuersis ac pretiosis lapidibus ornata inſpexit. De qua detractis quatuor petalis, in quib. gemmæ clauſæ erant miræ magnitudinis, ineffabilem portionem ſalutaris ligni Dominicæ crucis repperit, q̄ pro ſalute humani generis ab omni populo Chriſtiano die exaltationis S. crucis in basilica Saluatoris, quæ appellatur Cõſtantiniana, oſculari ac adorari inſtituit. Hic poſt multa, quæ in Eccleſiis DEI fecit, renouauit, ſeu contulit, vt tempore fractionis Domini corporis, Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, &c. à clero & populo decantetur inſtituit. Conſtituit etiam, vt ſcilicet diebus adnunciationis Domini, dormitionis, & natiuitatis ſanctæ DEI Genitricis Mariæ ac S. Simeonis quod hypapanti græci appellant Letania exeat à ſancto Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Sepultus eſt autem hic beatus vir in basilica B. Petri Apoſtoli 6. Idus Septemb. indiçtione 14. Tiberio Auguſto. Et ceſſauit Episcopatus menſe 1. dieb. 20.

LXXXVII.

IOANNES, natione Græcus, ſedit annis 3. menſibus 2. diebus 12. Huius temporibus venit Theophylactus cubicularius Patritius & Exarchus Italiæ de parte Siciliæ in urbem Romam. Qui volens propriis ſubſtantiis denudare quosdã habitatores Urbis, commouit aduerſum ſe grauiffimam ſeditionem, quam Pontifex monitis ſalutaribus ſedauit, qui ſeſe medium dans portas ciuitatis clauſit, & ſacerdotes ad foſſatum, in quo vna conuenerant, miſit. Deinde verò, dum Giſulfus dux gentis Langobardorum Beneuenti cum omni ſua virtute veniret in Campaniam, incendia & prædationes multas exerceret, captiuosq; non paucos cepiſſet, & vſq; ad locum, qui horreas dicitur, foſſatum figeret, nullusq; eſſet, qui ei reſiſtere poſſet, prædictus Pontifex miſiſ ſacerdotibus cum Apoſtolicis donariis vniuerſos captiuos de eorum manibus redemit, & illum cum ſuo hoſte ad propria repedare fecit. Poſt cuius obitum ceſſauit Episcopatus menſem 1. dies 18.

LXXXVIII.

IOANNES, natione Græcus, patre Platone, ſedit annis 2. menſibus 7. dieb. 17. vir eruditiffimus, & facundus eloquentia. Huius temporibus Aripertus rex Langobardorũ donationẽ patrimonii Alpiũ Cottiarum in litteris aureis exarauit, ac iuri Romanæ Eccleſiæ reformauit, quæ per longa tempora ab eadem Langobardorum gente detinebãtur. Tunc etiam Iuſtinianus Imperator à partibus
Gaza-

Gazariæ per loca Bulgariæ cum Trebello vsque ad regiam urbem veniens regnum proprium, vnde eiectus fuerat, adeptus est. Leonem quoq; & Tiberium, qui locum eius vsurpauerant, cepit, & in medio circi coram omni populo iugulari fecit. Porrò tomos quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Romam direxerat, in quibus diuersa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria inerant, per duos Metropolitanos Episcopos transmisit adiurans, vt Apostolicæ Ecclesiæ Conciliū aggregaret, & quæ euulsa essent stabiliret, quæ verò aduersa renuendo cassaret. Sed hic humana fragilitate timidus hos nequaquam emendans Principi retransmisit, postq; non diu in hac vita perduravit, sed defunctus appositus est ad patres suos. Et cessauit Episcopatus mensibus 3.

LXXXIX.

SISINNIVS, natione Syrus, patre Ioanne, sedit dies 20. Qui vir podagrico ac chiragrico humore ita detinebatur astrictus, vt sibi propriis manibus cibum exhibere non valeret. Vnde repentina morte defunctus est. Et cessauit Episcopatus mēsem 1. dies 28.

XC.

CONSTANTINVS, natione Syrus, patre Ioanne, sedit annis 7. diebus 15. mitissimus valde. Cuius temporibus in vrbe Roma facta est fames magna per annos tres, quam secuta est tanta vbertas, vt fertilitatis copia sterilitatis inopiam obliuioni manderet. Hic ordinauit Felicem Archiepiscopum Rauennatem, qui secundum priorum suorum consuetudinem noluit facere cautiones, sed per potentiam iudicum exposuit, vt voluit. Quapropter mittens Iustinianus Imperator Theodorum Patritium & primum exercitus in sulæ Siciliæ cum classe Rauennam cepit, præfatum Archiepiscopum arrogantem in naui vinctum tenuit, lumine oculorum priuauit, in exilium trans Pontum misit, & omnes rebelles, quos ibi repperit, compedibus strinxit, diuitias eorum abstulit, & Constantinopolim misit. Tunc etiam sacra Imperatoris iussus est præfatus Constantinus Pontifex regiam ascendere urbem, quod & fecit die 5. mensis Octobris indictione 9. Secuti autem sunt eum Niceta Episcopus de sylua Candida, Georgius Episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius, presbyteri, Gregorius diaconus, Georgius secundicerius, Ioannes defensorū primus, Cosmas facellarius, Sisinnius nomenclator, Sergius scriniarius, Dorotheus & Iulia-

& Iulianus subdiaconi, & de reliquis gradibus Ecclesiæ clerici pauci. Veniens igitur Neapolim, illic repperit eum Ioannes patritius & Exarchus cognomento Rizocopus, qui Romæ positus decollauit Saiulum diaconum, Petrum arcarium, Sergium abbatem, & Sergium ordinatorem, postquam Rauennam reuersus turpissima morte obiit. Deniq; summo Pontifici cum suis Siciliam pergenti Theodorus patritius & stratigos languore detentus occurrit, quæ cum veneratione magna suscipiens medelam adeptus est celerem, transfretansq; per Rhegium & Cortonam Callipolim, vbi mortuus est Niceta Episcopus, & Hydrunti moras faciens eo quod hyems esset, illic suscepit sigillum Imperiale per Theophanium regionarium, quo continebatur, vt ita omnes iudices susciperent Pontificem, ac si ipsum Imperatorem. Inde egressi per insulam Cheam deuenerunt ad septimum milliariū regiæ vrbis, vbi obuiam egressus est Tiberius Imperator filius Iustiniani Augusti, & Cyrus Patriarcha cum clero & populi multitudine, omnes lætantes & diem festum agentes. Sellari quoq; imperiali vsus Apostolicus Pontifex ingressus est ciuitatem, cum camellauco, vt solitus est Romæ procedere. Quod audiens Iustinianus Imperator gaudio repletus à Nicæa Bithyniæ misit sacram gratiarum actione plenam petens, vt ei Pontifex occurreret Nicomediæ, & ipse veniret à Nicæa; quod & factum est. Prostrauit autem se Christianissimus Augustus, & osculans pedes Pontificis in amplexus mutuos ruerunt, ac deinde cum ipso tanta lætitia Missas die Dominico Imperatori fecit, qua communicans ab eius manibus Princeps pro suis delictis vt deprecaretur obtinuit, sicq; omnia priuilegia suæ Ecclesiæ renouauit. Romam igitur reuertens à Nicomedia ciuitate post crebram navigationem, Domino sospitatem tribuente incolumis portum Caietæ attigit, vbi maximam multitudinem populi Romani repperit, ac 24. die mensis Octob. indictione 10. Romam ingressus est. Post menses autem tres lugubris nuncius superuenit dicens, Iustinianū orthodoxum trucidatum, & Philippicū hæreticum ad imperium promotum, cuius & sacram cum prauo dogmatis exaratione suscepit, sed cum Apostolicæ Sedis Concilio respuit. Eodem tempore Felix Archiepiscopus Rauennæ ab exilio reductus, pœnitentia motus, & licet oculorum lumine priuatus, tamen ad proprium rediit thronum, & fidei expositiones confessus reconciliationis promeruit absolutionem. Tunc etiam duo reges Saxonie amore Apostolorum Romam venientes sub velocitate suam vitam, vt optabant, finierunt. Venit autem & Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus

piscopus orationis voto, & suo se Pontifici præsentauit, postposita altercatione pro Ecclesia Ticinensi, cuius antistes consecrandus ad Domnum Papam pertinet. Deniq; populus Romanus statuit nequaquam hæretici Imperatoris nomen, aut in chartis, aut in figuris solidum suscipere, nec inter Missarum sollempnia commemorationem eius facere. Contigit autem, vt Petrus quidam pro Ducatu Romanæ vrbis Rauennam dirigeret, & nomen hæretici Imperatoris in sua promotione annotasset; quapropter hunc Ducem populus Romanus suscipere noluit, & Christophoro Duce adeo bellū ciuile exortum est, vt in via sacra ante palatium sese committerēt, & vtriusq; partis amplius quam 30. ita flagellarentur vt interirent: nec cessatum est, donec Pontifex mitteret sacerdotes cum Euangeliiis & crucibus, qui hanc commotionem sedarent. Non post multos hos dies venit nuncius à Sicilia, qui Philippum hæreticum à principali vertice depulsum innotesceret, ac Anastasium orthodoxum Augustalia sceptrā suscepisse nuntiaret. Quem sancti sexti Concilii confessorem, & veræ fidei prædicatorem Scholaisticus cubicularius, patritius & Exarchus Romam veniens omnibus declarauit. Cæterum post tanti Pontificis obitum cessauit Episcopatus dies 40.

XCI.

GREGORIUS, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annis 15. mensib. 8. diebus 24. Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis, atq; Constantini Augustorum, nutritus in parua ætate in patriarchio sub sanctæ memoriæ Domno Papa Sergio. atq; Sacellarius factus Bibliothecæ illi cura commissa est. Deinde ad Diaconatus ordinem promotus cum sancto Pontifice Constantino ad regiam profectus est Urbem, ac à Iustiniano Principe super quibusdam capitulis optima responsione vnamquamq; persoluit quæstionem. Erat enim vir castus, & in diuinis scripturis eruditus, ad quem Ioannes Constantinopolitanus antistes Synodicam misit, cui idem Pontifex subscripsit. Hic inter plurima bona, quæ fecit, in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicauit, & gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis ad Christum conuertit. Quo tempore Luitprandus Longobardorum rex donationem Patrimonii alpium Cotiarum, quam Aripertus rex fecerat, admonitione tanti viri redditam confirmauit. Signum quoque in Luna factum est per indictionem 14. quæ visa est cruoris plena vsq; ad mediam noctem. Theudo etiam dux

X

gentis

gentis Baioariorum ad B. Petri Apostoli limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto. Et post hæc Anastasius Imperator classem nauium præparatam Alexandriæ direxit contra Agarenos, qui ad aliud versi consilium ab itinere medio ad regiam regressi urbem, Theodosium orthodoxum Imperatorem elegerunt, atque coactum in solio imperii confirmauerunt. Anastasius itaque cum ciuibus, vel quibus potuit de exercitu Nicæam ciuitatem muniuit, ac cū classe, in qua Theodosius fuerat, dimicauit. & ferè septem millia exercitus sunt interempta. Sed Anastasii superata parte ipse verbum impunitatis expetiit, datoq; sibi sacramēto clericus factus atque presbyter est consecratus. Theodosius verò protinus urbem regiam ingressus, quæ à Philippico deiecta fuerant in pristinum erexit statum & Ecclesiæ satis profuit feruore suæ fidei. Tunc fluuius Tiberis alueum suum egressus vltra modum intumuit, ita vt in Via lata ad vnam & semis staturam aqua eiusdem fluminis excreuisset, atque à porta B. Petri Apostoli vsque ad pontē Miluium aquæ se distenderent. Vnde Romanis tribulatio maxima imminēbat, quod ferere non poterant: & idcirco à Domno Papa Letaniæ crebrò fiebant. Tandem octaua die cessauerunt atq; 15. indictione. Cumanum etiam castrum ipso fuerat tempore à Langobardis pacis dolo peruasum. Quod cum Domnus Papa nec precibus, nec munerib. posset recipere, mœnia ipsius castri nocturno silentio sunt ingressi Ioannes Dux Neapolitanus cum Theodino Subdiacono & Rectore, atq; exercitu, & Langobardos pœne trecentos cum eorum Castaldio interfecerunt, & captos cæteros Neapolim perduxerunt. Sic castrum receperunt. Pro cuius redemptione sanctissimus Papa, sicut promiserat, dedit auri libras septuaginta. Tunc etiam nefanda Sarracenorum gens, cum iam Hispaniarum prouinciam per decem tenuisset annos peruasam vndecimo conabatur Rhodanum fluuium transire, & Franciam occupare, vbi Eudo præerat. Qui facta Francorum generali monitione Sarracenos circumdans interemit, atque ex eis trecenta sexaginta quinque millia vno sunt die interfecta, vt eiusdem Eudonis Francorum Ducis continet epistola prædicto Pontifici missa. Ex Francis verò mille tantum & quinquaginta in eodem bello fuerunt mortui: ex quibus ideò plures non interierunt, quia anno præmissio idem Dux Eudo in benedictionem tres spongas à prædicto Pontifice acceperat, ex quibus in hora, qua bellum commissum est, quicumque ad sumendum modicam nactus est particulam, nec vulneratus, nec mortuus est. Eodemque tempore in Campania partibus combustū triticū, horde-

hordeum, siue legumina quasi pluuia in loco quodam è cœlo missa sunt. Hic Pontifex instituit, vt quod non agebatur Quadragesimali tempore in quinta feria ieiunium, atq; Missarum celebritas fieret. Illis interea diebus biennio Constantinopolis est à Sarracenis obfessa, sed DEO eis contrario, maxima illic parte eorum fame ac bello interempta Leone Principe annuente, confusi recesserunt. Nam & eiusdem ciuitatis diuersi sexus & ætatis populorum trecenta ferme millia necessitate pestilentia dictum est fuisse vastata. Eo quoque tempore moribus certè honesta & nomine Pontificis mater ab hac vita subtrahita est. Post cuius obitum domum propriam in honore sanctæ Christi martyris Agathæ additis à fundamento cœnaculis vel quæ monasterio erant necessaria monachorum ex nouo construxit, dando illi prædia vrbana vel rustica. Sed & castrum Narniæ à Langobardis peruasum est, ac post aliquot dies, Basilius Dux, Iordanes Cartularius, Ioannes Subdiaconus cognomento Lurion consilium inierunt, vt Pontificem interficerent. Quib. assensum præbuit Martinus, Imperialis Spatarius.

CÆTERA DESIDERANTVR.

QVAE verò in MS. COD. ab alio quopiam de viginti duobus sequentibus Pontificibus Romanis breuissimè subiecta erant luce indigna putauimus, tum quod ex libro de Romanis Pontificibus, qui Anastasio Bibliothecario tribuitur, vti superiora omnia, excerpta nō essent, tum quod mutila essent & plena lacunis.

FINIS.

COMMISSA ET OMISSA.

*Pag. 4. lin. 22. lege mulierē pro muliere. pag. 10. lin. 27. post† sic lege
Vel Ecclesias eorum commotus fueris, aut causam habueris, prius ad eos
recurrat &c. pag. 42. lin. 9. Oberint pro Oberit. pag. 86. lin. 10. transmutari possunt vel non possint, &c.*

X 2

INDEX